



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 11. Babylonis magnitudo, superbiæ Nabuchodonosoris caussa, cum
aliorum superbia collata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

§. XI.

Babylonis magnitudo, superbia Nabuchodonosoris causa, cum aliorum superbia collata.

Itaque post finem mensium duodecim in an. Dan. 4. 26
 la Babylonis deambulabat: responditq; rex &
 ait: Nonne hac est Babylon magna, quam ego
 edificavi in domum regni, in robore fortitudinis
 mea, in gloria decoris mei? Cumq; sermo
 adhuc esset in ore regis, vox de calo ruit: Tibi
 dicitur, Nabuchodonosor rex: Regnum tuum
 transibit a te, &c. Eadem hora sermo comple-
 tus est super Nabuchodonosor, &c. Deus san-
 ctissime, quid audio? Turris Babel, & vrbs
 Babylon, quæ a Nemrod siue Belo Nini
 patre condita, a Semiramide aucta fuit, &
 postea euerfa, iterum a Nabuchodonosore
 restituta & magnificentissimis operibus
 adornata est; tanta fuit, vt in ambitu mu-
 rorum stadia 480. excurrerent; muri ipsi
 50. cubitos crassi, 200. cubitos alti essent,
 vrbsq; centum æreis portis clauderetur;
 & vt Diodorus ait, muri Babylonis adeo
 lati fuerunt, vt per eos sex currus simul
 possent procedere. Vtq; Aristoteles te-
 statur, tanta fuit Babylon, vt vrbe ab ho-
 stibus capta, per triduum incolæ alterius

Herodot.
l. 1.
Diodor.
lib. 3.
Aristot.
lib. 3. Po-
lit. cap. 2.



Martial.
ep. 1.

partis vrbis eam captā esse non senserint.
 Quin tanta fuit Babylon, vt inter septem
 mundi miracula numeraretur. Hanc ergo
 tantam à se vrbem denuò excitatā deam-
 bulans rex, tanquam opus suum aspexit,
 & admiratus, quod verum erat, dixit:
*Nonne hæc est Babylon magna, quam ego adi-
 ficauit? cumq̄ adhuc esset sermo in ore regis,
 eadem hora, tam grauius punitus est. Su-
 per hoc expauit cor meum, & emotum est de
 loco suo.* Nam quot homines aspiciunt non
 ciuitatem tam amplam, sed vel vnicam
 duntaxat domum? quid dico domum? vni-
 cum librum, vnicam imaginem, sæpe vni-
 cum carmen à se concinnatum, & sibi non
 aliter placent, ac si orbem terrarum con-
 didissent? Habent igitur hinc homines,
 vnde discant, sibi nō ipsis plaudere, Quan-
 quā Nabuchodonosor etiam ob monarchiā
 tumidus, illa: *Nonne hæc est Babylon, ingen-
 ti fastu, & non sine insigni Numinis con-
 temtu, videtur protulisse. Et meminisse
 debebat somnij sui, ac interpretationis ei-
 us, cuius vel oblitus est, vel paruam habuit
 rationem, eaque propter ad ingenium ar-
 rogantiamque pristinam rediuit. Ita nimi-
 rum pereunt, qui diuinas monitiones*

parui

parui faciunt, & ad vomitum suum reuer-
suntur. Multa præterea alia quoque per-
petrauit, ob quæ puniendus erat. Vasta-
uit Arabiam, depopulatus est Moabitas;
intrauit Syriam, occupauit Iudæam; qua
de causa eum Ieremias *pradonem gentium*, Ierem. 4.
itemque *latronem*, quin alibi scriptura, ob 6.
rapacitatem lupum, leonem ob ferociam, Ierem. 18.
pardum ob celeritatem appellauit; aitque 12.
eum vasa domus Domini transtulisse in
Babylonem. Quæ omnia vitia cum jam Ezech.
etiam nostris bellis & multis bellatoribus 28. 3.
sint communia, quid aliud merentur, nisi
vt paribus supplicijs puniantur? Sed differt
eos Deus, si enim in hac vita, ad hunc mo-
dum eos plectere vellet, omnes filuæ mon-
stris implerentur. Nimis pulchra est hæc
statio pro illis; aliud stabulum paratum
est: sicut & pro heroicè pugnantibus aliud
cælum. Hinc mirari non debent, si illis
bene bellantibus malè est. Æquè magna
præmia, ac magna supplicia, in
futurum differun-

tur.

